HERMANNUS von der Hardt.

Lectori S.

BReve hoc Alliacenum opusculum in *Codice MSCto Academiæ* nostræ *Juliæ* hic finem habet. In *Codice* nihilominus *antiquissimo MSCto Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis*, Alliacenis, quæ proxima *Parte VII.* exhibebimus, subnectuntur nonnulla, quæ non tam cum illo scripto, quam cum præsenti libello cohærere videntur, cum ratione argumenti, tum ratione styli, ad formam colloquii compositi. Quoniam verò nefas putavimus illa divellere, ac quæ huc pertinere videbantur, exinde transferre: Sub finem sequentis Partis VII. inveniet lector, quæ nostro judicio huc referenda videbantur. Quibus suppetent similes Codices, viderint, num cohæreant, an distincta hæc sint similiter. Nos intactum hoc relinquere non potuimus, sed monere libuit, ut ansa detur lectori solerti & in MSCtis antiquis versato in hæc inquirendi, si qua ampliorem his rebus lucem affundere possit. His interea utere lector, & nostrum in excutiendis MSCtis vetustissimis laborem haud exiguum boni consule.

De cetero, his *dubiis Petri de Alliaco* Gersonem superiori scripto abunde jam satisfecisse, in ipso nostro monetur MSCto, his adjectis verbis: AD HÆC RESPONSUM EST IN PRÆCEDENTIBUS.

INDEX CAPITUM.

Caput I.
DE difficultate Concilii Universalis per Romanorum Imperatorem illo tempore convocandi, quo Imperium vacabat.
Cap. II. De pecuniariis Constitutionibus Johannis XXIII. quæ Ecclesias nimium operarent.
Cap. III. Magna dubia Gersoni objecta, de Papa extra Cardinalium Collegium eligendo, & sic Ecclesia reformanda.
Cap. IV. Scrupulus de Concilio universali intermittendo.
Cap. V. Novi scrupuli de Constitutionibus pecuniariis Johannis XXIII.
Cap. VI. Unionem Ecclesiæ difficulter per Imperatorem effectum iri, manente Johanne XXIII.
Cap. VII. De duobus reliquis Pontificibus, Gregorio XII. & Benedicto XIII. ad Generale Concilium, quod Constantiæ mox coactum, citandis.
Cap. VIII. De tuto loco Concilii Universalis.